

nullius legitimæ rationis regulas, seu consuetudines in his decernendis statuunt juri adversantes, veluti nonnunquam in publicis Judiciis huc usq; factum, *Gobl. hic.* Tandem gravis Imperatoris admonitio ad Judices adnectitur, quam tanquam Cynosuram in causarum criminalium decisionibus observent, & ego *ex Zieritz. hic, c. 150. verb. accurata diligentia, summa prudentia,* & aliis ex locis hoc inculco *in operis meis subcisivis secunda editionis, disc. Acad. 1. addit. 12.*

ARTICULUS CLI.

Exceptionis probatio qualis.

Legatur hic articulus teutonicus, versio Latina, tam Gobleriana, quam Remiana, & Zieritziana unâ cum notis, & res erit salva. Adde *Matth. Steph. hic.*

ARTICULUS CLII.

Articuli concludentes.

Nihil quoque desidero præter notata à *Zieritz & Steph. hic.*

ARTICULUS CLIII.

Rei cautio circa defensionem.

Notis *Zieritzii & Stephani* nihil placet addere. Mentionem tamen faciam alicujus præjudicii de reo ad exceptionis probationem se offerente, quo in casu de sumptibus in litem faciendis ante omnia cavere debere; *Dd. in l. eum, quem temerè, 79. ff. de judic. Anton. Hering. de fidejuss. c. 5. num. 253.* Recordor C. P. Anno 1617. pronunciasse in causâ arduâ criminali O. contra B. *Daß der eine Angeklagte / che / vnd bevorn er ad exceptionem innocentie probandam verstatet wurde / den Herrn Anlagern damnorum & expensarum ratione caviren solle vnd müße.*

ARTICULUS CLIV.

Rei paupertas.

Cùm reus adeò pauper est, & cautionem quoque præstare nequeat, idcirco ne innocens capitis pœnam luat, Judex ex officio debet inquirere, expensis Magistratus loci, quod summa suadet æquitas. Eleganter *Gobl. hic, in auctario, Zieritz. verb. summa. Anton. Hering. d. c. 5. & d. num. 253.* Imò paupertas plerumq; bonæ mentis soror, & non de genere malorum, ut remissivè trado *disc. Acad. 3. concl. 18.* Videatur *Ios. Nold. de stat. nobil. c. 23. nu. 14.* Quis autem pauper dici debeat, vel non? Vide *Zieritz. hic, c. 154. verb. adeò pauper, & c. ult. verb. paupertatem.*

ARTICULUS CLV.

Absentis & damnati defensio.

Magistratus ex officio fugitivum homicidam per publicum affixum editum citare debet, & ipsi absentis terminus peremptorius, isq; congruus, intra